Elter



De gnomologiorum graecorum historia.

pt. 7

NATALICIA

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I II

IMPERATORIS GERMANORVM

AB VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

D. XXVII M. IANVARII A. MDCCCLXXXXV

IN AVLA MAGNA HORA XII PVBLICE CONCELEBRANDA

INDICVNT

VNIVERSITATIS

RECTOR ET SENATVS

Inest
de Gnomologiorum Graecorum historia atque origine
commentatio ab Antonio Elter scripta
part. VII
(de Aristobulo Iudaeo III)

BONNAE

EX CAROLI GEORGI TYPOGRAPHEO ACADEMICO

Aristobulo et pseudepigraphis Christianis etsi pro huius libelli ratione ac proposito iam nimium temporis et spatii vereor ne concessisse videar et plura restant quae ab illis qui singulis locis inspectis contenti aut Valckenaerios Cobetosque secuti sententiam dicunt observari non solent, afferam tamen postquam in quaestionem tam intricatam adeo delapsi sumus et quantum fieri potest rem absolvam; quae, si retractanda erant, tamen nisi gnomologiorum historia perspecta et comparata unquam satis explicari posse nego. atque cum praeter Orphicos versus quos supra tractavimus etiam alia sint apud Clementem et Eusebium quae ad Aristobulum expressis verbis referantur, ne cum falsis genuina eadem ruina trahantur, et Aristobuli q. f. fragmenta et fabula illa iam pervulgata de Aristobulo Peripatetico falsario Clementisque excerptorum περὶ κλοπῶν in stromate V atque si dis placet VI auctore, quorum quanta sit cum gnomologicis collectionibus cognatio ultro apparebit, attento animo examinanda erunt et excutienda. nec tamen ipsis fragmentis exscriptis ut nunc moris est et perpolitis res conficitur. nam cum in aliis scriptoribus tum in Eusebio quid quisque legerit quid non legerit aut qua ratione singula excerpserit ut aliquo modo concludi possit, ea quae intercedunt et cohaerent in examen advocanda sunt. quae vero fuerit falsorum illorum origo atque historia et quem in his locum 'Aristobulus' habuerit, id rursus accurate definiri nequit nisi antea quaesiveris quae universa fuerint Iudaeorum et Christianorum Graecarum litterarum studia — en longum iter et tenebricosum, attamen non praetereundum; nam ut reliqua taceam, gnomologiorum res agitur neque in singulis deerunt observatione digna. sed prout res feret pedem proferamus.

si verum est quod supra demonstrare conatus sum, Theophili fere aetate certo consilio 'Iustini' nomine libellum de monarchia confectum et cum antiquissimis poetarum de deo eclogis primum spuria coniuncta esse, iam quotquot singulis novarum eclogis usi sunt, 'monarchia' certe recentiores esse existimandi sunt i. e. et 'Hecataeus' et 'Aristobulus'. Aristobuli autem q. v. libros ante Clementem et Eusebium nemini lectos esse constat. atque quod in carmine Orphico apparuit variorum qui deinceps fuerunt falsariorum inventa velut strata alia aliis superimposita esse et Aristobulum Eusebii omnium impostorum ultimum fuisse, haud secus rem se habere in toto Eusebiano quidem libello probabile est; tamen quoniam integra Aristobuli excerpta ut ex ipso opere petita videantur centonarius apponit, certe quid Aristobuli illius fuerit, quae falso ad eum referantur, ex Eusebio aliqua ratione colligi poterit. contra Clementem et eclogas antiquas et 'Iustinum' et 'Hecataeum' et 'Aristobulum' adhibuisse atque omnia miscuisse cognovimus. in singulis uter meliora servaverit nunc non quaeritur; sed cum fragmenta quoque quotquot Aristobuli esse dicuntur iu Eusebii excerptis legantur omnia, ad Aristobuli operis naturam et compositionem indagandam Eusebium ducem sequemur, cuius duae sunt eclogae largiores (cf. Schürer 2, 761 Susemihl 2, 629):

I praep. ev. 8, 10, 1-17 p. 376-8
II praep. ev. 13, 12, 1-16 p. 663-8.

Eusebius cum tertia pr. ev. librorum trilogia Hebraeorum theologiam et universam gentis historiam tractandam sibi

proposuerit (cf. l. xv in.), libro vii priscorum qui ante Mosem fuerunt vitam enarrans ne suae sententiae testimonia desint affert Philonem et Aristobulum, quem primum commemorat ita ut argumentum titulumque libelli satis accurate describat pr. ev. 7, 14 p. 323: καὶ Ἀριστόβουλος δὲ ἄλλος Ἑβραίων σοφὸς ἀνὴρ κατὰ τὴν τῶν Πτολεμαίων ἀκμάσας ἡγεμονίαν (i. e. Ptolemaeorum aevo) κυροῖ τὸ δόγμα ὡς πάτριον αὐτῷ Πτολεμαίῳ τὴν τῶν ἱερῶν νόμων προσφωνῶν ἑρμηνείαν, ἐν ᾗ τάδε φησί (de divino rerum principio). verba autem ipsa cum excerpta sint ex ecl. ii (pr. ev. 13, 12, 10-11), ad sequentem librum statim transeamus.

atque libro viii postquam quorum virorum studio sacra scriptura in Graecam linguam conversa esset ostendit secundum Aristeam p. 350-355 et legem institutaque Mosaica exposuit secundum Philonem p. 355-361 ac Iosephum (c. Ap. 2 c. 16-31) p. 361-370, cap. 9 p. 370 ita pergit: περὶ δὲ τῆς ἐν τοῖς ὑπὸ Μωσέως τεθεῖσι νόμοις ἐπεσκιασμένης καὶ ἀλληγορικῆς θεωρίας πολλὰ ἔχων εἰπεῖν ἐπαρκεῖν ἡγοῦμαι τὰς Ἐλεαζάρου καὶ Ἀριστοβούλου διηγήσεις, ἀνδρῶν τὸ μὲν γένος Ἑβραίων ἀνέκαθεν, τὸν δὲ χρόνον κατὰ τοὺς Πτολεμαίου χρόνους διαπρεψάντων (ita leviter de utroque neque Πτολεμαίων cum Valckenaerio corrigendum, nam temporum discrimen nunc non curat, cf. i. Clem. str. 5 p. 705). deinde post Eleazari verba ex epistula Aristeae sumpta (quem dixit p. 349 παρατυχεῖν τοῖς πραχθεῖσι κατὰ τὸν δεύτερον Πτολεμαῖον τὸν ἐπικληθέντα Φιλάδελφον, καθ' ὃν τὰ τῆς ἑρμηνείας τῶν Ἰουδαϊκῶν γραφῶν διὰ σπουδῆς τοῦ βασιλέως γενόμενα τῶν κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν βιβλιοθηκῶν ἠξιώθη. ἐπακοῦσαι δὲ αὐτοῦ καιρὸς κτλ. v. i. p. 213) tribus illis auctoribus Iudaeorum gravissimis quartum subiungit ita cap. 10 p. 375: ὁ δὲ Ἀριστόβουλος καὶ τῆς κατ' Ἀριστοτέλην φιλοσοφίας πρὸς τῇ πατρίῳ μετειληχὼς ὁποῖα περὶ τῶν ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις φερομένων ὡς περὶ θεοῦ μελῶν διῆλθεν, ἐπακοῦσαι καιρός. οὗτος δ' — αὐτὸς ἐκεῖνος οὗ καὶ ἡ δευτέρα τῶν Μακκαβαίων ἐν ἀρχῇ τῆς βίβλου μνημονεύει — ἐν τῷ πρὸς Πτολεμαῖον τὸν βασιλέα συγγράμματι τοῦτον καὶ αὐτὸς διασαφεῖ τὸν τρόπον: iterum librum dicit ad 'Ptolemaeum regem' datum esse; sed quae addit de ipso Aristobulo, aut mera coniectura inventa sunt (nam multi fuerunt Aristobuli Iudaei) aut ipsam rationem tenemus cur Aristobuli nomen clarissimum falsarii elegerint. inscribitur enim altera epistula Maccabaeorum libro ii praemissa (qua Alexandrini Iudaei ab Hierosolymitanis invitantur ut mortuo Antiocho τὸν καθαρισμὸν τοῦ ἱεροῦ cum illis celebrare velint, Macc. 2, 1, 10) ita: ἔτους ἑκατοστοῦ ὀγδοηκοστοῦ καὶ ὀγδόου (Seleucidarum i. e. 125 a. Chr. n.) οἱ ἐν Ἱεροσολύμοις καὶ οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ ἡ γερουσία καὶ Ἰούδας Ἀριστοβούλῳ διδασκάλῳ Πτολεμαίου τοῦ βασιλέως, ὄντι δὲ ἀπὸ τοῦ τῶν χριστῶν ἱερέων γένους, καὶ τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ Ἰουδαίοις χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν. quae quandocumque scripta aut cum Maccabaeorum libro coniuncta est (cf. Schürer 2, 741), si re vera fuit Aristobulus Iudaeus Ptolemaei Physconis sexagenarii olim magister et Aristarchi collega (Π. δ' ὁ Εὐεργέτης βασιλεὺς Αἰγύπτου εἷς ὢν τῶν Ἀριστάρχου τοῦ γραμματικοῦ μαθητῶν sec. Athen. 2 p. 71 B), quis tamen illi cum ad regem legis explicationem mitteret Orphica fingere, Homerum interpolare, Aratum mutare (cf. i.) licuisse aut eum qui talia malo dolo finxerit suum nomen ingenue professum esse existimabit? aut quis non videt quam accepta postea fuerit huius persona Aristobuli quem ad ipsum 'regem' ut solet fieri de lege Mosaica scripsisse fingerent? ἐν τῷ πρὸς Πτολεμαῖον τὸν βασιλέα συγγράμματι Aristobulum Eusebius allegoricam legis interpretationem exhibuisse dicit; quis Ptolemaeorum fuerit postea ignorasse videntur, ut ne in ipso libello quidem id expressis verbis iudicatum fuisse conicias. falsarium ipsum regem discipulum intellegi voluisse mihi certum videtur; veterum plerique cum Philometorem intellegerent, Clemens str. 1 p. 410 (inde Euseb. pr. ev. 9, 6 p. 410) atque Eusebius chron. a. 176/3 (cf. chron. pasch. Ἀριστόβουλος Ἰουδαῖος Περιπατητικὸς φιλόσοφος ἐγνωρίζετο, ὃς Πτολεμαίῳ τῷ Φιλομήτορι ἐξηγήσεις τῆς Μωυσέως γραφῆς ἀνέθηκεν), procul dubio ad patrem commentarios missos esse putarunt qui filium Aristobulo erudiendum tradidisset (ut sec. Suidam Aristarchus γέγονε ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ Φιλομήτορος οὗ καὶ τὸν υἱὸν ἐπαίδευσεν quem coll. Athen. l. l. Physconem fratrem et successorem fuisse suspicor). egregie autem Clemens lapsus est in adnotatione str. 5 p. 705 inserta (cf. i.): Ἀριστοβούλῳ δὲ τῷ κατὰ Πτολεμαῖον γεγονότι τὸν Φιλάδελφον, οὗ μέμνηται ὁ συνταξάμενος τὴν τῶν Μακκαβαϊκῶν ἐπιτομήν, βιβλία πεπόνηται ἱκανά, nam Aristeae in mentem venit epistulae de sacrorum librorum versione quae cum Aristobuli epistula de legis sacrae interpretatione solet consociari (cf. s. Euseb. cap. 9 p. 370); Clemente etiam insignius erravit Anatolius ap. Euseb. hist. eccl. 7, 32, 16 (de die paschatis) cuius nugas iure explosit Valckenaerius (de Aristob. cap. 9): μαθεῖν δ' ἔστιν ἐκ τῶν ὑπὸ Φίλωνος Ἰωσήπου Μουσαίου (!) λεγομένων, καὶ οὐ μόνον τούτων ἀλλὰ καὶ τῶν ἔτι παλαιοτέρων, ἀμφοτέρων Ἀγαθοβούλων τῶν ἐπίκλην διδασκάλων (!) Ἀριστοβούλου τε τοῦ πάνυ, ὃς ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα κατειλεγμένος τοῖς τὰς ἱερὰς καὶ θείας Ἑβραίων ἑρμηνεύσασι γραφὰς (! cf. nomina lxxii apud Aristeam p. 22 Schm.) Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ καὶ τῷ τούτου πατρὶ (!) καὶ βίβλους ἐξηγητικὰς τοῦ Μωυσέως νόμου τοῖς αὐτοῖς προσεφώνησε βασιλεῦσιν (cf. s. Eus. pr. ev. 7 p. 323 Clem. str. 1 p. 409 i. p. 215): ita fabulas gigni propagari crescere videmus.

verum haec de Ptolemaeo rege cui Aristobulus Iudaeus Peripateticus τὴν τῶν ἱερῶν νόμων ἑρμηνείαν inscripsisse ferebatur. ipsum autem librum Eusebius primo loco (pr. ev. 7 p. 323) ita describit ut de titulo quem posui dubitari non posse videatur; altero loco (8 p. 375 ἐν τῷ πρὸς Πτολε-

μαῖον τὸν βασιλέα συγγράμματι) brevior est, tertio (13 p. 663) titulum non affert. atque cum de re plane consentiant quae idem scripsit in chronicis, rectius tamen ἐξηγήσεις vocat quoniam ipse Aristobulus i. p. 215 ἑρμηνείαν versionem dicit; utrumque Anatolium contaminavisse (et Ptolemaeos filium patremque ex pr. ev. 7, 323 coll. Clem. p. 409/705 elicuisse) putares, nisi ipsum Eusebius testaretur. plures fuisse libros Clemens auctor est cum str. 1 p. 410 praemittat Ἀριστόβουλος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν πρὸς τὸν Φιλομήτορα κατὰ λέξιν γράφει, idem str. 5 p. 705 (cf. s. p. 208) Aristobulo dicit βιβλία πεπόνηται ἱκανά, δι' ὧν ἀποδείκνυσι τὴν Περιπατητικὴν (!) φιλοσοφίαν ἔκ τε τοῦ κατὰ Μωυσέα νόμου καὶ τῶν ἄλλων ἠρτῆσθαι προφητῶν (quibus non totius operis argumentum et propositum describuntur, sed quae illo loco afferre intererat commemorantur). tamen cum Clementem de Aristobulo tam falsa qualia ex eclogis obiter inspectis nasci soleant narrare neque quidquam referre videam quod in Eusebii eclogis non legatur, num plures libros recte tradat et ipse usurpaverit valde dubito. itaque quae βιβλία ἱκανὰ fuisse dicit, ipsa nostra fragmenta intellegi suspicor, id quod infra magis etiam comprobabitur. sed ut ipsam rem accuratius cognoscamus, iam ad verba prioris fragmenti accedamus.

πλὴν ἱκανῶς εἰρημένων πρὸς τὰ προκείμενα ζητήματα ἐπεφώνησας καὶ σύ, βασιλεῦ, διότι σημαίνεται διὰ τοῦ νόμου τοῦ παρ' ἡμῖν καὶ χεῖρες καὶ βραχίων καὶ πρόσωπον καὶ πόδες καὶ περίπατος ἐπὶ τῆς θείας δυνάμεως· ἃ τεύξεται λόγου καθήκοντος καὶ οὐκ ἀντιδοξήσει τοῖς προειρημένοις ὑφ' ἡμῶν οὐδέν: antecesserant procul dubio plura de deo uno mundi creatore et rectore, invisibili, omnia ipso cernente, qualia in apologiis Christianis feruntur aut quae ipse in altero fragmento (Eus. 13, 12, 3) 'Iustini' monarchiam partim secutus exposuit. — παρακαλέσαι δέ σε βούλομαι πρὸς τὸ φυσικῶς (allegorice, cf. Heinze Lehre vom Logos p. 186) λαμβάνειν τὰς ἐκδοχὰς καὶ τὴν ἁρμόζουσαν ἔννοιαν περὶ θεοῦ κρατεῖν καὶ μὴ ἐκπίπτειν εἰς τὸ μυθῶδες καὶ ἀνθρώπινον κατάστημα (cf. s. p. 162). ·πολλαχῶς γὰρ ὃ βούλεται λέγειν ὁ νομοθέτης ἡμῶν Μωσῆς, ἐφ' ἑτέρων πραγμάτων λόγους ποιούμενος, λέγω δὲ τῶν κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν, φυσικὰς διαθέσεις ἀπαγγέλλει καὶ μεγάλων πραγμάτων κατασκευάς. οἷς μὲν οὖν πάρεστι τὸ καλῶς νοεῖν, θαυμάζουσι τὴν περὶ αὐτὸν σοφίαν καὶ τὸ θεῖον πνεῦμα, καθ' ὃ καὶ προφήτης ἀνακεκήρυκται (cf. Philon. v. Mos. 3, 23 p. 163 sqq. quis rer. div. her. 52 p. 511) — ὧν εἰσιν οἱ προειρημένοι φιλόσοφοι (καὶ πλείονες ἕτεροι) καὶ ποιηταὶ παρ' αὐτοῦ μεγάλας ἀφορμὰς εἰληφότες, καθ' ὃ καὶ θαυμάζονται — τοῖς δὲ μὴ μετέχουσι δυνάμεως καὶ συνέσεως, ἀλλὰ τῷ γραπτῷ μόνον προσκειμένοις οὐ φαίνεται μεγαλεῖόν τι διασαφῶν. ἄρξομαι δὲ λαμβάνειν καθ' ἕκαστον σημαινόμενον, καθ' ὅσον ἂν ὦ δυνατὸς κτλ. (8, 10, 6-17 p. 376-8; 12-14 adscripsit Clemens str. 6 p. 755/6 ὥς φησιν Ἀριστόβουλος, in brevius contracta

ut solet cf. Freudenthal Alex. Polyh. p. 12 sqq.); quae singula percensere longum est: hoc demonstrari posse confido 'Aristobuli Peripatetici' allegoriam dynamicam Stoicorum rationi quam Philonis interpretationi propiorem esse. totum autem fragmentum quam iuste liber ab Eusebio sacrarum legum explicatio inscribatur declarat, atque quod in transcursu mouet antea dictos philosophos et plures etiam alios et poetas ex interiore legis Mosaicae cognitione μεγάλας ἀφορμὰς cepisse, apparet quantum distet a consilio scriptoris qui, si Clementem audimus aut doctorum opiniones sequimur, id potissimum agat ut Graecos sua a barbaris furatos esse demonstret aut velut in Orphico carmine ipsos Graecos legem tamquam veritatis originem praedicantes facere videatur. iam alterius eclogae partem quae est de Graecorum philosophis atque poetis nostro fragmento superiorem esse liquet; verba ipsa mire contorta, quibus illi a Mose μεγάλας ἀφορμὰς εἰληφότες esse dicuntur, unde provenerint infra videbimus.

ad alterum fragmentum Aristobuli antequam transeamus (Eus. 13, 12), quae apud Eusebium intercedunt neglegenda non sunt, unde et quomodo Eusebius libros conscripserit (cf. Freudenthal p. 3 sqq.) et quae in Aristobulo Eusebius certe non legerit quantum fieri possit colligamus. libri VIII quae restant p. 378-400 ex Philone excerpta sunt. iam vero libro IX δεικνὺς ὁπόσοι τῶν παρ' Ἕλλησι λογογράφων τοῦ Ἰουδαίου ἔθνους μνήμην ἐποιήσαντο, de Essaeis primum τὰ Θεοφράστου ἐν τοῖς Πορφυρίῳ γραφεῖσι περὶ τῆς τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς κείμενα (2, 26), et quae ἐν τῷ τετάρτῳ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως περὶ τῶν αὐτῶν ἱστορεῖ ὁ Πορφύριος (4, 11-13) refert subscriptis verbis ταῦτα μὲν ὁ Πορφύριος ἐκ παλαιῶν ὡς εἰκὸς ἀναγνωσμάτων κτλ., quamquam Porphyrius se Iosephum sequi ipsis quae huic excerpto praeponit verbis profitetur atque si lectionibus fides est ipsum Iosephum non Porphyrium descripsit Eusebius (cf. Ios. bell. Iud. 2, 8, 2-12; in quibus cum verbis p. 405 πρὶν ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων Essaei cf. Orph. v. 1). sequitur c. 4 p. 408 Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης, ἀνὴρ φιλόσοφος ἅμα καὶ περὶ τὰς πράξεις ἱκανώτατος, ἰδίαν βίβλον ἀναθεὶς τῇ περὶ Ἰουδαίων ἱστορίᾳ πλεῖστα περὶ αὐτῶν διέξεισιν, ἀφ' ὧν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἀρκέσει παρατεθέντα ταῦτα — quae tamen cum laude Hecataei non ex integro Hecataei libro sumpta sed more consueto ad verbum descripta sunt ex Ioseph. c. Ap. 1, 22, 183. 197-204 (v. i.). tunc pergit c. 5 p. 409 Κλέαρχος δὲ ὁ Περιπατητικὸς φιλόσοφος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ ὕπνου βιβλίῳ Ἀριστοτέλει τῷ φιλοσόφῳ τοιόνδε τινὰ περὶ Ἰουδαίων ἀνατίθησι λόγον ὧδε πρὸς ῥῆμα γράφων — quae iterum fonte non indicato descripsit ex Ioseph. c. Ap. 1, 22, 176-181 (v. i.); unde conicias Aristobuli quoque fragmenta ex alio scriptore petita aut fragmenta illa tantum ad augendum testium numerum inventa et magis magisque interpolata esse. iam ad Clearchi

excerptum addit c. 6 p. 410: τούτου δὲ μνημονεύει καὶ ὁ ἡμέτερος Κλήμης ἐν τῷ πρώτῳ στρωματεῖ, δι' ὧν ταῦτά φησι (p. 358)· Κλ. δ' ὁ Περιπατητικὸς εἰδέναι φησί τινα Ἰουδαῖον ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο, et data occasione cum Clearcho reliquos quos in hanc rem Clemens contulerat describit: καὶ μεθ' ἕτερα ἐπιλέγει (ibd. p. 359)· Νουμᾶς δὲ ὁ Ῥωμαίων βασιλεὺς Πυθαγόρειος μὲν ἦν, ἐκ δὲ τῶν Μωσέως ὠφεληθεὶς κτλ., et ἔτι πρὸς τούτοις ἑξῆς ὑποβὰς τάδε φησί (ibd. p. 360)· φανερώτατα δὲ Μεγασθένης ὁ συγγραφεὺς κτλ. (v. i.). verum cum Clemens his ipsis verba praemittat (p. 360) οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ἀριστόβουλος ὁ Περιπατητικὸς καὶ ἄλλοι πλείους, ἵνα μὴ κατ' ὄνομα ἐπιὼν διατρίβω — quibus rursus Cyrillus c. Iul. 4 p. 134 deductus est ut Megasthenis verba Aristobulo inscriberet — Aristobuli nomine monitus alterum Clementis locum adiit ubi plura de eo leguntur itaque pergit p. 410: ἔτι πρὸς τούτοις ὁ Κλήμης Ἀριστοβούλου τοῦ Περιπατητικοῦ καὶ Νουμηνίου τοῦ Πυθαγορείου μνημονεύει λέγων (ibd. p. 410 sq. cf. i. p. 214/5): ita florilegus a loco in locum fertur et similia similibus adnectit. at ipsius Aristobuli eundem locum infra (13 p. 664) tamquam ex eius libro petitum affert, quemque modo (s. p. 207) ipse evolvisse videbatur, eius libri nunc prorsus eum oblitum esse dixeris; nimirum vel Clementis et Eusebii aetate Aristobuli, cuius libri antea nulli fuerunt, capita tantum et testimonia a falsariis confecta ferebantur.

post Numenium (fr. 9. 23 Thed.) c. 9 p. 412 ex Iosepho (c. Ap. 1, 22, 172-174) rursus Choerilum liberius describit. secuntur c. 10-11 Porphyrius et Iosephus (ant. Iud. 1, 3 sqq.) cum Abydeno et c. 17-37. 39 p. 418-454 Alexandri Polyhistoris περὶ Ἰουδαίων excerpta ex variis rerum Iudaicarum scriptoribus compilata (interiecto c. 20 fragmento Alexandri ap. Ioseph. ant. Iud. 1, 15 cf. Freudenthal p. 14; Schürer 2, 727 Susemihl 2, 362). quorum tamen omnium quamvis virtutem et sapientiam Abrahami ac Mosis praecipue laudibus efferrent nemo eo processit ut illa Graecis vetustiora aut a Graecis scriptoribus usurpata esse contenderet. itaque quod saeculo fere ante Aristobulus libro ad ipsum Ptolemaeum regem misso demonstravisse dicebatur et creditur, Alexandrum Polyhistorem eiusque auctores prorsus ignoravisse videmus — aut si talia huic fortasse Eusebii libro minus apta fuerint, certe infra in libro XIII cum Aristobulo Alexandri excerpta eum iterum exhibuisse putaveris: immo interpolatores Orphicos Alexandri excerpta secutos Eupolemi vestigia pressisse (s. p. 159) cognovimus; tamen ille nil aliud tradit quam Mosen γράμματα παραδοῦναι τοῖς Ἰουδαίοις πρῶτον, παρὰ δὲ Ἰουδαίων Φοίνικας παραλαβεῖν, Ἕλληνας δὲ παρὰ Φοινίκων (Eus. 9, 26 p. 431), Artapanus Musaeum i. e. Mosen Orphei magistrum fuisse fabulatur (Eus. 9, 27 p. 432 s. p. 161), scilicet non Aristobulum sed vanam nominis similitudinem secutus. sed ut quantum etiam intersit inter ipsum Alexandrum Polyhistorem et Aristobulum intellegas, allegoriam qua excellunt Philo et Aristobulus Alexandro nondum cognitam esse animadvertit Freudenthal p. 186, et historiam Iudaeorum Graecis narrari atque illorum libros in linguam Graecam verti par est, antequam eos explicare, cum Graecis comparare, ex illis Graeca derivare et interpolare deinceps conati sint. Demetrium Alexander ὁμοίως τῷ τὴν ἱερὰν βίβλον γράψαντι ἱστορῆσαι adnotavit (p. 439. 445); sed narrationem de miranda versionis origine aut Aristobuli de Mosis sapientia doctrinam, si iam tum temporis inventa et vulgata fuisset, vix ille opinor praetermisisset. unum addo: ut Eupolemum et Artapanum interpolatores Orphici, sic Ezechielum poetam ab Alexandro excerptum adhibuisse videtur auctor 'monarchiae' (Aristobulo ille antiquior), in interpolando Aeschyli fr. 464 v. 8 (s. p. 148, cf. Ez. ap. Eus. 9, 29 p. 442 A πηγαί τε πᾶσαι, ὑδάτων συστήματα). sed quo clarius perspiciatur quam recens sit universa haec Aristobuli sententia de ratione inter Graecos scriptores Iudaeorumque libros — id enim maxime nostra interest — hoc loco quid ea de re reliqui scriptores sive Graeci sive Iudaei censuerint qui et ante et post 'Aristobulum' illum Philometoris aequalem fuerunt conferamus. atque Iudaeorum inde ab Alexandri Magni potissimum aetate multi meminerunt (cf. Freudenthal p. 177), quorum testimonia cum Iosephi studio maximam partem collecta sint (et inde ab Eusebio ut vidimus compilata), cum illo infra perscrutabimur. sed cum Graecorum et Iudaeorum sapientiam atque instituta inter se comparata et fabulam illam de furtis Graecorum exortam esse parum probabile sit, antequam libri sacri Iudaeorum in linguam Graecam conversi sint, ab illa versione initium fieri consentaneum esse videtur, ad exemplum ipsius Eusebii quem in l. VIII item ab Aristea incipere, Philonem et Iosephum cum Aristobulo — en nobilissimum Iudaeorum coetum — subiungere vidimus.

Aristeae q. f. ad Philocratem epistula de LXX interpretibus (ed. M. Schmidt Archiv f. w. Erf. d. A. T. h. von Merx 1, 241), 'der Roman über die Entstehung der Septuaginta' (Gutschmid Kl. Schr. 4, 350), quae vera tradat de versionis tempore quove tempore ipsa scripta sit non liquet (cf. Schürer 2, 819 Susemihl 2, 608). quam qui scripsit Iudaeus Alexandrinus rerum quidem Aegyptiarum peritissimus (cf. Lumbroso Rech. sur l'écon. polit. de l'Égypte p. XIII; de chrematistarum collegio nunc cf. Wilcken adn. ad Droysen Kl. Schr. 2, 385 p. 437), quod ipsum Alexandrinae bibliothecae conditorem Iudaeorum quoque libris comparandis operam dedisse voluit, eum fabulam vulgatam et dudum velut sponte natam secutum esse quis mirabitur? sed Graeco nomine narrationem illam omni arte exornatam, Demetrii Ptolemaei Eleazari epistulis, Hierosolymorum urbis et templi descriptione magnifica, LXXII sapientum convivio instructam, vanitatis Iudaicae documentum, qua

legem Mosaicam regibus atque Graecis hominibus acceptam et probatam esse monstraret, in lucem emittere vix quisquam ausus est antequam versio tamquam canonica ab omnibus communi usu recepta esset. ipsa igitur LXX virorum versio quandocunque facta est (cf. Schürer 2, 697 Susemihl 2, 604), Aristeae certe epistulam a Philadelphi aetate tantum distare contendo ut scriptori non maiorem fidem habendam esse censeam quam ipsi fabulae inest quam sequitur et suis verbis illustrat. neque ipsa epistula quando scripta sit investigare aut omnia quae auctor nec vere nec probabiliter invenerit (cf. Freudenthal p. 165) explicare aut singula si qua sunt temporis indicia (velut p. 258, 25 πάντα γὰρ διὰ προσταγμάτων καὶ μεγάλης ἀσφαλείας τοῖς βασιλεῦσι τούτοις διῳκεῖτο aetatem sapiunt a primis Ptolemaeis satis remotam) colligere multum nunc refert, nam sive Philometore est antiquior sive videbitur esse recentior, Aristobulum tamen longe antecedit et quantum afuerit ut illius aevi homines Iudaei Graecos Iudaeorum sequaces fuisse reputarent exemplo ostendit luculentissimo. ita enim rem narrat Aristeas (p. 254 [14] Euseb. 8, 2 p. 350):

κατασταθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐχρηματίσθη πολλὰ διάφορα πρὸς τὸ συναγαγεῖν εἰ δυνατὸν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην βιβλία. idem regi nuntiat: προσαγγέλλεται δέ μοι καὶ τῶν Ἰουδαίων νόμιμα μεταγραφῆς ἄξια καὶ τῆς παρὰ σοὶ βιβλιοθήκης εἶναι et postea scribit (p. 259): δέον δέ ἐστι καὶ ταῦθ' ὑπάρχειν παρὰ σοὶ διηκριβωμένα διὰ τὸ καὶ φιλοσοφωτέραν εἶναι καὶ ἀκέραιον τὴν νομοθεσίαν ταύτην ὡς ἂν οὖσαν θείαν. διὸ πόρρω γεγόνασιν οἵ τε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος τῆς ἐπιμνήσεως τῶν προειρημένων βιβλίων καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων καὶ πολιτευομένων ἀνδρῶν, διὰ τὸ ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν αὐτοῖς θεωρίαν, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης. quare (p. 261) Ptolemaeus (Philadelphus cf. p. 255, 6. 17) ad Eleazarum scribit ἵν' ὑπάρχῃ καὶ ταῦτα παρ' ἡμῖν ἐν βιβλιοθήκῃ σὺν τοῖς ἄλλοις βασιλικοῖς βιβλίοις (cf. p. 303, 23 praeceptum sapientis Iudaei de regis ἀναγνώσεσιν et Plut. apophth. p. 189 D Δ. ὁ Φ. Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρῄνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν κτλ.). iam opere absoluto (p. 308 Eus. p. 354) regi παρανεγνώσθη πάντα καὶ λίαν ἐξεθαύμασε τὴν τοῦ νομοθέτου διάνοιαν. καὶ πρὸς τὸν Δημήτριον εἶπε· πῶς τηλικούτων συντετελεσμένων οὐδεὶς ἐπεβάλετο τῶν ἱστορικῶν ἢ ποιητῶν ἐπιμνησθῆναι; ἐκεῖνος δ' ἔφη· διὰ τὸ σεμνὴν εἶναι τὴν νομοθεσίαν καὶ διὰ θεοῦ γεγονέναι, καὶ τῶν ἐπιβαλλομένων τινὲς ὑπὸ τοῦ θεοῦ πληγέντες τῆς ἐπιβολῆς ἀπέστησαν. καὶ γὰρ ἔφησεν ἀκηκοέναι Θεοπόμπου, διότι μέλλων τινὰ τῶν προηρμηνευμένων ἐπισφαλέστερον ἐκ τοῦ νόμου προσιστορεῖν ταραχὴν λάβοι τῆς διανοίας πλεῖον ἡμερῶν τριάκοντα.. δι' ὀνείρου δὲ σημανθέντος ὅτι τὰ θεῖα βούλεται περιεργασάμενος εἰς κοινοὺς ἀνθρώπους ἐκφέρειν ἐξιλάσκεσθαι τὸν θεόν.. καὶ παρὰ Θεο-

δέκτου δὲ τοῦ τῶν τραγῳδιῶν ποιητοῦ μετέλαβον ἐγώ, διότι παραφέρειν μέλλων τι τῶν ἀναγεγραμμένων ἐν τῇ βίβλῳ πρός τι δρᾶμα τὰς ὄψεις ἀπεγλαυκώθη κτλ. de Theopompo et Theodecte quidquid iudicabimus, nam ficticia ea esse non minus quam omnem Demetrii Phalerei cum Philadelpho familiaritatem (cf. Schürer 2, 698 Susemihl 1, 6[18]) apparet, Hecataeum quoque si περὶ Ἰουδαίων liber quem Iosephus putabat (cf. i.) indicaretur ab Alexandro Polyhistore praetermissum non esse existimares. sed quod gravius est, fabulam illam de Graecorum furtis adeo nondum inventam et vulgo creditam esse videmus, ut qui libros sacros Iudaeorum in profanorum usum convertere auderent vi divina afflicti esse dicerentur. ita Iudaei Alexandrini ex quo tempore Graecis litteris studere coeperunt, cum sua Graecis ignorari aut sperni aegre ferrent, 'scriptorum et poetarum' (καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος inepte addit auctor epistulae) silentium explicare conati tum demum peculiari quadam dei providentia per LXXII interpretes a deo inspiratos sacram scripturam Graeca lingua expressam esse sibi persuaserunt (etiamsi versionem in usum Iudaeorum Alexandrinorum primum factam esse certum est et ipse Aristeas quasi invitus fatetur cf. s. de Theopompo et p. 259, 9). quare Graecum nunc hominem Aristeam Philocrati fratri rem mirabilem narrare, Aristeam Demetrium Ptolemaeum sapientiam Mosaicam tandem cognitam summis laudibus efferre, μάλιστα δὲ τοῖς φιλοσόφοις eam probari (p. 294, 25. 305, 27. 288, 20), ipsum regem ex tot scriptoribus Graecis nullum harum rerum mentionem iniecisse mirari finxerunt. quae cum scriberentur (multo post Philadelphum), certe nondum repertus erat vir doctior qui suspicaretur tamen Platonem vel Orphea Homerumque Iudaeorum libros cognitos habuisse. postea quod desiderabatur a Demetrio et Philadelpho, id ipsum Hecataei et Aristobuli clarrissimis nominibus abusi faciundum curaverunt; quod tamen ab ipsis Alexandrinis paullo post Aristeae epistulam editam factum esse nihil est cur arbitremur. immo quae postea carmini Orphico Abrahami et 'legis' Mosaicae indicia per fraudem inserta esse cognovimus, et ipsa non antiquis et genuinis fragmentis nituntur sed eclogis per gnomologia vulgatis et a 'Iustino' iam ad unius dei cultum redactis. tamen 'Aristobulum' ipsius Aristeae vestigia secutum esse — cuius epistula inde a Iosephi et apologetarum temporibus ab omnibus scriptoribus Christianis recepta est (cf. Schürer 2, 823) — tam manifesta res est, ut dubitari omnino nequeat. atque cum illam eclogae II partem quae cum Aristeae narratione artius cohaeret Eusebius ipso quem nunc tractamus libro 9 p. 410 secundum Clementem str. 1 p. 410 (cf. s. p. 211) una cum Aristeae excerpto afferat, nobis quoque hoc loco aptissime [adscriptis variis lectionibus Eusebii 13, 12 p. 663] exhibebitur examinabiturque:

Ἀ. δὲ ἐν τῷ πρώτῳ τῶν (τῷ L) πρὸς τὸν Φιλομήτορα

κατὰ λέξιν γράφει· κατηκολούθηκε δὲ καὶ (καὶ om. Eus. p. 410) [φανερόν, ὅτι κατηκολούθησεν] ὁ Πλάτων τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος (περιεργασάμενος L) ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων [λ. om.]. διηρμήνευται δὲ [γὰρ] πρὸ Δημητρίου [τοῦ Φαληρέως add., cf. i. Clem. p. 409 sq.] ὑφ' [δι'] ἑτέρων (ἑτέρου L), πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως, τά τε κατὰ τὴν ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγωγὴν [τὴν ἐξ. τὴν ἐξ Αἰγ.] τῶν Ἑβραίων τῶν ἡμετέρων [ἡμετ. δὲ] πολιτῶν καὶ ἡ τῶν γεγονότων ἁπάντων αὐτοῖς ἐπιφάνεια καὶ κράτησις τῆς χώρας καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησις, ὥστε [ὡς] εὔδηλον εἶναι τὸν προειρημένον φιλόσοφον εἰληφέναι πολλά, γέγονε γὰρ πολυμαθής, καθὼς καὶ Πυθαγόρας πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιίαν [κατεχώρησεν. ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προσαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, σοῦ δὲ προγόνου, προσενεγκαμένου μείζονα φιλοτιμίαν, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων. quae Clemens nunc omittit cum paucis antea p. 409 sq. ἑρμηνευθῆναι τὰς γραφὰς τάς τε τοῦ νόμου καὶ τὰς προφητικὰς ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶττάν φασιν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου ἢ ὥς τινες ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου cum reliquis rebus narraverit]. quibuscum conferas etiam Euseb. pr. ev. 11, 8 p. 523 ubi Plato Mosi ac prophetis ἐπηκολουθηκέναι διὰ τῶν οἰκείων φωνῶν δῆλος esse dicitur, εἴτ' ἐξ ἀκοῆς εἰς αὐτὸν ἡκούσης μαθών, ἐπεὶ καὶ συνίσταται παρ' Αἰγυπτίοις τηνικάδε τὰς διατριβὰς πεποιημένος καθ' ὃν Ἑβραῖοι τῆς οἰκείας δεύτερον ἀποπεσόντες γῆς Αἰγυπτίοις ἐπεχωρίαζον Περσῶν ἐπικρατούντων, εἴτε κτλ. (cf. Ptolemaeum Aristeae p. 260 ἐπεὶ συμβαίνει πλείονας τῶν Ἰουδαίων εἰς τὴν ἡμετέραν χώραν κατῳκίσθαι γενηθέντας ἀνασπάστους ἐκ τῶν Ἱεροσολύμων ὑπὸ Περσῶν, καθ' ὃν ἐπεκράτουν χρόνον κτλ.).

itaque Aristobulo nostro constat Platonem Iudaeorum legem secutum et singula rimatum esse multaque inde accepisse. atque Christianorum multos et veteres et recentes, cum quid nostra religio Platoni deberet ignorarent, Platonem sibi vindicasse scio, Iudaeorum nullum novi, aut quae illius aevi studia Platonica fuisse putant qui talia ad Ptolemaeum Philometorem scripta esse credunt? at quomodo fieri potuit ut Plato libros sacros legeret quos singulari Philadelphi industria in Graecam linguam conversos esse per Aristeam constabat? nimirum ut Plato ceterique qui deinde afferuntur (Pythagoras primum l. s. l. et paullo post p. 664 C δοκοῦσι δέ μοι περιειργασμένοι πάντα κατηκολουθηκέναι τούτῳ Πυθαγόρας τε καὶ Σωκράτης καὶ Πλάτων . . . ἔτι δὲ καὶ Ὀρφεὺς . . καὶ Ἄρατος, quin etiam Homerus et Hesiodus p. 667) 'legem' cognitam habuisse non sine probabilitatis specie dici possent, iam ante Demetrium Phalereum ab aliis, immo ante Alexandri et Persarum dominationem τά τε κατὰ τὴν ἐξαγωγὴν τὴν ἐξ Αἰγύπτου κτλ. (i. e. Exodum cum decalogo) καὶ τῆς ὅλης νομοθεσίας ἐπεξήγησιν (i. e. Deuteronomium) sive totum Pentateuchum Graece versum fuisse audacter contendit. quid? nonne pervides quid nugarum ille nobis imponat? Pentateuchum enim dicit versum esse πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως i. e. multo ante illam versionem quam primam fuisse inde ab Aristea communis erat opinio, etiam πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως i. e. antequam Alexander et antequam Persae Iudaeos (sive Aegyptios iudicari mavis) sub potestatem redegerint: ante Cyrum igitur (aut Cambysem) — nam talia quoque non intelleges nisi interpretaberis — i. e. libros Mosaicos Graece lectos esse ante Aeschylum natum aut Hecataeum Milesium, Pythagorae fere aetate aut etiam antea cum vel Orpheus et Homerus Hesiodusque illos cum laude commemorarint!! iam quis non stomachabitur cum talia huius saeculi viros doctos concoquere videat — quae ne Eusebius quidem (licet ei constaret τοὺς τὰ πλεῖστα τῶν ἐθνῶν περιειργασμένους Ἕλληνας καὶ τὰ Ἑβραίων μὴ ἀγνοῆσαι ἀρχῆθεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα φωνὴν μεταβεβλημένα pr. ev. 10 p. 483) a se impetrare potuit ut crederet, qui ut Platone certe versio superior esse videretur, πρὸ τῆς Ἀλεξάνδρου Περσῶν ἐπικρατήσεως i. e. antequam Alexander Persarum regno cum Aegypto Iudaeisque ibi degentibus potitus esset, eam factam esse scite quidem sed contra Aristobuli sententiam coniecit. ac talia Aristobulum Peripateticum philosophum, regis praeceptorem et Aristarchi fortasse collegam ad ipsum Philometorem re vera scripsisse aut quemquam illo tempore malo dolo fingere et in publicum emittere — nam regi ac Graecis scribitur, non sectae occultae — ausum esse etiam sunt qui credant? nonne falsarios tam impudentes et imprudentes, ut de ipsis quae finxerunt testimoniis nunc taceam, ab omnibus cum risu exceptos et cum ignominia repulsos esse existimabimus? atque si vera fuisset Aristobuli clarissimi illius ad Philometorem epistula quamvis falsaria narraret, nonne hanc de antiquissima Pentateuchi versione narrationem eandem vel multo maiorem auctoritatem apud posteros assecutam esse exspectaremus quam Aristeae epistulam quam omnes secuti sunt? sed illam versionem Demetrio antiquiorem neque ante Aristobulum quisquam effinxit neque ante Clementem Eusebiumque fabulam repetiit aut scriptam iuvenit. attamen Aristobuli fragmenta genuina et auctorem etiamsi fide non dignum, ipsum fortasse credulitate — a falsario nimirum etiam antiquiore — deceptum esse credere pergunt et in pseudepigraphorum Iudaeorum turba Aristobulum cum Alexandro Polyhistore certa historiae conscribendae fundamenta esse perhibent, Aristeam qui tamen nonnisi rem per se haud improbabilem fabulose enarrat Philadelpho quidem aequalem non esse, at Aristobulum i. e. Philometoris aetatem

antecedere solent concludere. ne plura, falsarium ipsum tenemus, qui Platonem dixerat a Mose sua mutuatum esse: Mosis libros ante Platonem Graece versos fuisse sequebatur — ita fabula fabulam trahit, ut ab aliis quoque Aristeae fabula (cf. Schürer 2, 823) magis magisque aucta et mirum in modum exornata est. at malae segetis origo et inventionis principium Aristobulo id ipsum fuit quod Platonem ceterosque Graecorum philosophos atque poetas Iudaeos imitatos esse non primus affirmavit, sed ut rem totiens repetitam et ab omnibus (Christianis scilicet) iam acceptam ipse quoque persuasum habebat; effrenata autem quam stupemus inveniendi libido, sive sacrorum librorum versiones respicis quae ante Demetrium fuisse dicuntur sive Graecorum philosophorum et poetarum quae notatur imitationem sive versus inaudita temeritate clarissimis poetis suppositos sive fraudem ipsius Aristobuli Ptolemaei regis magistri qui videbatur nomini illatam (quamvis vel talia Anatolius e. g. longe excesserit), et ipsa aevum prodit quo temporum omnis ratio turbata esset deque saeculis Christo anterioribus nihil non proferre liceret.

Haec postquam ex more huius universitatis praefati sumus, veniendum est ad alteram eamque graviorem officii partem. Etenim vertente anno dies recurrit faustissimus et auspicatissimus atque universae patriae nostrae unice carus, regis nostri clementissimi, imperatoris Germanorum augustissimi

GVILELMI II

natalis, quem cum Borussia et Germania haec litterarum universitas Fridericia Guilelmia Rhenana sollemniter concelebrabit. Atque gratulationis publicae communiumque votorum interpres erit vir illustrissimus GVILELMVS KAHL PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, cuius ut orationi ceterisque sollemnibus prompto lubentique animo intersint, rectoris illustrisque senatus nomine curatorem universitatis egregium, professores amplissimos, doctores clarissimos, commilitones ornatissimos, magistratus regios imperatorios urbicos spectatissimos, et quicumque rebus nostris ac litterarum studiis bene volunt, qua par est observantia rogamus invitamus.


UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
880EL80
C001 V007
DE GNOMOLOGIORUM GRAECORUM HISTORIA ATQU
3 0112 023746891